SIGISMUNDUS Tertius Dei gratia Rex
Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsiæ Pruſsiæ,
Mazoviæ, Samogitiæ, Livoniæq; etc: nec non Sveco„
rum Gottorum Vandalorumq; hæreditarius Rex.
Ad perpetuam rei memoriam notum teſtatumq;
facimus, ad quos præſentes hæ litteræ noſtræ perve„
nerint hujus et futuri temporis universis et ſingu„
lis. Cum ſingulari providentia Divina, quod nobis,
Regnisq; ac populis nobis ſubditis, bene et feliciter
eveniat, Sereniſsima Princeps Domina Conſtantia
Conjunx Noſtra cariſsima per legatos noſtros, mari„
talibus votis a nobis expetita, ſumma Sereniſsi„
morum Principum Dominæ Mariæ Palatinæ
Rheni ac Superioris et inferioris Bavariæ Du„
cis Viduæ matris, nec non Ferdinandi Archi„
ducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ, Stiriæ, Carin
thiæ, Carniolæ Vitenbergæ etc: Comitis Tirolis
et Gorithiæ ejusdem Sereniſsimæ Conjugis noſtræ
fratris Germani ut in quarum cura poteſtateq;
eſset, voluntate nobis deſponſata eſset, ac inter
alias conditiones matrimonii ejus certa etiam
dos, quinquaginta nimirum milium floreno„
rum Rhenentium, ſexagenorum cruciferorum
valoris intra trimeſtre poſt conſenſum Comi„

tiorum Regni, in reformationem, a Nobis impe„
tratam numeranda, conſtituta, promiſsaq: fuiſset,
ea accepta viciſsim nos, ſimilem ſummam ratio„
ne contradotis et donationis propter nuptias Sere„
nitati Suæ conſtituturos, et utrasq hasce, ſum„
mas, tam videlicet dotis, quam contradotis i„
doneis locis, dominiis, civitatibus, Oppidis ar„
cibus et terris Regni Poloniæ et Magni Duca„
tus Lithuaniæ, ſecundum jura Regni Poloniæ
nos inſcripturos, idoneeq: cauturos, iisdem pactis
nuptialibus nos promiſiſse. Ad id igitur, cum
ex vi pactorum adſtricti eſsemus, tum vero ſin„
gulari noſtro in præfatam Sereniſsimam
Conjugem noſtram amori atq: benevolentiæ,
ſummisq: ejus virtutibus, atq: in nos obſervan„
tia, per omne hoc matrimonii tempus ſpectatæ,
multo magis debere etiam exiſtimantes, nihil
ſane in nobis, ad eam rem recte conficiendam
ſtudii, in ſuperioribus etiam Comitiis deſide„
rari paſsi fuimus. Sed cum difficultatibus
iis, quæ tam deliberationes publicas morabant„
tur impediti, quemadmodum aliis de rebus,
ita de hac quoq: nihil conſtituere ordines
potuiſsent: in hisce tandem Comitiis, ſingula

re ſtudium obſervantiamq: ſuam cumulatius
nobis declararunt. Exemplo enim Majorum ſuo„
rum, qui eximia nobiliſsimæ hujus nationis cum
laude, ſumma ſemper fide atq: obſervantia, ma„
jores noſtros, Sereniſsimos Poloniæ Reges pro„
ſecuti ſunt, quanto nos amore atq fide colerent
quoq: ſtudio Sereniſsimam Conſortem noſtram,
Regum, Imperatorum, ac a tot Sæculis primæ
dignitatis in orbe Chriſtiano Principum pro„
geniem, complecterentur, declarandum puta„
runt. Non modo enim conditionem eam de re„
formatione facienda, in pactis a nobis receptam
conſensu ſuo approbarent, firmamq: ac ratam
habuerunt, verum certa etiam loca, Oppida, Ar„
ces et Civitates, nimirum, Bielskum, Tucho„
liam Usciam Pilam Swiecium Latowicium
Lesaisko Camenecciam Zawisinum Stanislavo„
vo, Cobryniumet Olicam cum Præfecturis ſil„
varum, omnibusq: eorundem pertinentiis, uti„
litatibus, proventibus, redditibus, qui vel prædiis
vel agris, ſilvis, piſcationibus, continentur,
omnibus deniq: utilitatibus, proventibus,
qui nunc vel in iis ſunt, vel poſtea cujus
quam ingenio excogitari poſsint, nullis

penitus exceptis liberalissime assignarunt, utq; e-
adem quinquaginta millium florenorum po-
lonicalium; quorum singuli triginta grossis,
recepta et usitata in Regno hoc nostro moneta
aestimentur, pariq; summa contradotis, seu do-
nationis propter nuptias, modernorum ta-
men possessorum juribus salvis, obligaremus,
inscriberemus, assignaremus, publica prae-
sentium horum Comitiorum authoritate,
nobis praemiserunt consenserintq; Cui quidem
consensui, authoritatiq; Ordinum, tum etjam
pactis matrimonialibus supra memoratis
nos innitentes, supra memoratam centum
millium florenorum polonicalium sum-
mam, quinquaginta nimirum millium
Dotis, et similem contradotis, in supra
memoratis Oppidis, Castellis, Terris,
cum consilio, consensu, scituq; Senato-
rum, omniumq; adeo Ordinum nostrorum
inscribimus, eidemq; Serenissimae Conjugi nostrae
damus, donamus, in eamq; bona supra com-
memorata verae hypotecae nomine oppigno-
ramus, obligamusq; sequentibus nimirum
conditionibus et modis: Inprimis et ante

omnia curaturos effecturosq; nos promittimus,
ut omnes supra commemoratorum Dominiorum,
Oppidorum, Civitatum, Castrorum, Terrarum,
Villarumq; et bonorum inscriptorum Rectores
Consules, Advocati, Cives et Subditi, ipsi Sere-
nissimae Reginae Dominae Constantiae Conjugi
nostrae Charissimae spondeant promittantq; ac
corporale fidelitatis juramentum, in id prae-
stent, quod si Deo Optimo Maximo, ita dispo-
nente, prius nobis, quam eidem Serenissimae
Conjugi nostrae humanae vitae suprema lex
obvenerit, eo casu, nulli alii, quam Sereni-
tati Ejus Oppida, Arces, Castra, villasq; Ter-
rasq; eas, cum omnibus inde provenientibus
fructibus, commodis, emolumentis et rediti-
bus, seq; adeo ipsi tradant consignentq; et
quod Serenitati Ejus in omnibus et per
omnia, secundum Regni leges, summa cum
fide observantiaq; parebunt et obedient.
Tributa tamen in Conventibus publicis
Regni decreta, cum aliis Regni incolis
nihilominus conferant, diplomataq; seu
poduodas, ut moris est, praebeant. Judicia
deniq; solennia, tam Castrensia Capitane-

orum, quam Regia, quae antea in aliquibus
horum Castrorum habita fuerint, posthac etjam
de more in iisdem celebrentur. Et quoniam mu„
neris etjam alicujus nuptialis assignatio, nostro
arbitratui atq; voluntati, pactis iis matrimo„
nialibus permissa est, ut quanti ejus virtutes,
atq; constantem in nos amorem faciamus,
hac quoque declaremus, separatim etjam
proventum annuum duorum millium flo„
renorum aureorum Ungaricalium auri pu„
ri, in Zuppis Bochnensibus, eidem Serenissi„
mae Reginae Conjugi nostrae damus, dona„
mus, assignamus, inscribimus, attribuimus
iisdem hisce literis nostris. Quas quidem
summas dotis donationisq; propter nuptias
tum muneris nuptialis, eidem Serenissi„
mae Constantiae Conjugi nostrae inscripsimus
et obligavimus, inscribimusq; et obligamus,
ea lege et conditione, ut si quidem Sere„
nitatem suam priusquam nos ex hac vi„
ta decedere contigerit, tam dos et donatio
propter nuptias, quam munus nuptiale,
ad nos Regnumq; nostrum irrevocabili„
ter redeant devolvanturq; sine aliqua

ipsius dotis restitutione: Sin prius id nobis ac„
ciderit, tum vel prole ex ea suscepta, quod Deus
avertat, morte sublata, vel etjam eadem, aut alia
superstite, commemorata Serenissima Regina
Conjunx nostra omnes Terras, Districtus, Domi„
nia, Civitates, Oppida, bona in dotem et con„
tradotem, tum etjam munus nuptiale, supra
a nobis ei obligata et inscripta, cum omnibus
eorum reditibus, censibus, juribus, cum aliis,
tum etjam patronatus Ecclesiarum, omnibus
deniq; commodis, emolumentis, utilitatibus
attinentiis, dominio et jurisdictione in potesta„
tem possessionemq; suam accipere, ea conditio„
ne, ut Castrensis jurisdictio, a nobis Sereniss„
simisq; Successoribus nostris, Nobili in districtu
illo possessionato, secundum leges Regni detur,
ac in caeteris etjam Castris et Praefecturis i„
tidem, non nisi indigenae Nobiles Regni Magni
Ducatus Lithuaniae, Russiae Prussiae Masoviae
ac caeterorumq; dominiorum illis adjuncto„
rum, prout quaeq; Praefectura in aliqua Pro„
vincia sita est a Serenitate Sua collocen„
tur habeanturq; eadem pro arbitrio suo admi„
nistrare poterit et debebit, ad extrema usq; vitae

ſua vidualis tempora, iisdem utendi fruendi ſe-
cundumq: hanc præſentem obligationem de iis
diſponendi, fructusq commoda, emolumenta,
utilitates, reditusq: omnes ex iis percipiendi,
inq uſus ſuos convertendi, plenam integramq:
facultatem habebit. Atq illud quidem ſi in
viduitate permanſerit: ſi autem forte ad ſe-
cunda vota deſcenderit, tum centum milli-
bus florenis polonicalibus, dotis et contra-
dotis, a Sereniſſimis ſucceſſoribus noſtris ei
perſolutis. ita nimirum, ut duæ partes ejus
ſummæ ex Regno Poloniæ, tertia ex Magno
Ducatu Lithuaniæ ſolvatur, cautioneq de
quinquaginta millibus contradotis poſt
mortem ejus Regno reſtituendis, ab illa
præſtita et interpoſita, eadem bona mox
libere dimittet, inq poſſeſſionem ſuc-
ceſſorum noſtrorum tradere rurſum tene-
bitur. Poſt mortem vero ejus, ſive in vidu-
ali ſtatu permanſerit, ſive ad ſecunda
vota deſcenderit, prædicta quinquaginta
millium florenorum Polonicalium
ſumma dotationis propter nuptias,

ſeu contradotis, ad Poloniæ Regnum noſtrum redire
debebit. De alia vero quinquaginta millium floreno-
rum polonicorum ſumma dote nimirum ſua, quem-
admodum et de iis, quæ de munere nuptiali perci-
piet perceperitve, liberum integrumq: ei erit, tam
in vita, quam mortis articulo, pro ſuo arbitrio
diſponere, teſtariq: eadem donare, legare, in quoscunq:
deniq: quos ei viſum fuerit, uſus convertere. Inteſtata
vero ea mortua, dos cæteraq: quæ ſupra commemo-
rata ſunt, vel ea pars, de qua non diſpoſuerit,
ad liberos ejus, quos poſt mortem ejus ſuperſtites re-
liquerit, aut liberis nullis extantibus, ad proxi-
mos Sereniſſimæ Reginæ Conjugis noſtræ hæredes
maſculos, aut ne illis quidem extantibus, fœmi-
nas devolventur, quibus ſupra commemoratam
ſummam dotis Sereniſſimi ſucceſſores noſtri aut
ordines Regni, Magniq Ducatus Lithuaniæ, inte-
gram vel partem aliis non donatam legatamve
effectualiter reſtituere et perſolvere debebunt te-
nebunturq: ita nimirum, ut duæ illius partes ex
Regno noſtro Poloniæ adjunctisq: ei ditionibus,
tertia pars ex Magno Ducatu noſtro Lithuaniæ
præſtetur, hac expreſſa adjecta lege et conditione,

ut in caſu obitus commemoratæ Sereniſſimæ
Conjugis noſtræ abinteſtato Serenitatis ejus hæ-
redes ſupradicti, in caſu autem factæ alicujus
diſpoſitionis personæ, aut personæ [illegible]; vel il-
læ, cui vel quibus eadem Sereniſſima Con-
junx noſtra aliquid vel inter vivos donaverit,
vel teſtamento reliquerit, annuos reditus
ratos et integros quinque millium florenorum
polonicorum, ſupra memorati valoris, ex
ſupradictis inſcriptis et aſſignatis bonis
tamdiu quilibet pro ſua rata parte, ſine
aliquo defectu, habere, levare et percipere
poſſint, donec et quousque plene integreque
illis aut cuilibet eorum, quod obvenire
eis debeat ſolutum, et tam ſcilicet de
ſumma dotis, quam aliis, quæ ſecundum
inſcriptionem hanc debebuntur, ſatiſ-
factum eisdem ſit. Non ſolum autem bo-
nis et dominiis in dotem et contradotem,
et munus nuptiale, ſupra ei inſcriptis
obligatisque; ſed ex aliis omnibus juribus,
libertatibus, et Privilegiis, eo modo ute-
tur, fruetur, et gaudebit, quo Sereniſſi-

mæ Poloniæ Reginæ unquam ab antiquo,
juxta leges et conſuetudines Regni, uti, frui, gaude-
re, bonaque ejusmodi poſſidere ſolitæ fuerant, neque
ulla in re deteriore conditione erit, quam
qua ulla unquam Regina in Regno no-
ſtro optima fuerit. Ita tamen, ut nihil hac
generalitate derogatum velimus iis, quæ
literis hisce nominatim conſtituta præſcri-
ptaque ſunt, deque iisdem nihil omnino Serenita-
ti Ejus decedat, ſed omnia integre præſten-
tur, executionique mandentur. Atque hæc quidem
omnia et ſingula, verbo noſtro Regio, et ſub cau-
tione, obligationeque in ipſis pactis matrimo-
nialibus, ſeu literis tractatus ejus præſcripta,
adeoque Senatus noſtri conſenſu, publicaque Comi-
tiorum horum authoritate accedente, integre
et inviolabiliter nos ſucceſſoresque noſtros ob-
ſervaturos, noſtro ſucceſſorumque noſtrorum
Regum Poloniæ et Magni Ducatus Lithua-
niæ nomine recipimus, promittimus
et ſpondemus bona fide, doloque et fraude
omni semotis. In quorum omnium fidem
et teſtimonium bina privilegia manu
noſtra ſubſcripta, alterum autem

Regni, alterum Magni Ducatus Lithuaniæ
ſigillis ſignata edi mandavimus. Datum
Varsaviæ in Conventione Regni noſtri Gene-
rali die XXV Mensis Februarii Anno Domi-
ni Milleſimo ſexcenteſimo Nono Regnorum
noſtrorum Poloniæ Vigeſimo ſecundo, Sveciæ
Decimo quinto. Præſentibus Reverendiſſi-
mis Reverendis Illuſtribus Magnificis
et Generosis Alberto Baranowski Gneznen-
ſi legato nato et Regni Primate primoq
Principe Ioanne Zamoiski Leopolienſi
Archiepiſcopis Petro Tylicki Cracovienſi
Matthia Pstrokonski Vladislavienſi Be-
nedicto Woina Vilnenſi Andrea Opalenski
Poznanienſi Martino Syszkowski Plocenſi
Simone Rudnicki Varmienſi Paulo
Volucki Luceorienſi Laurentio Gembicki
Culmenſi et Regni Cancellario Georgio
Zamoiski Chelmenſi Christophero Kazim-
cuski Kiovienſi Epiſcopis. Ianuſio Duce
Oſtrogiæ Caſtellano Cracovienſi Wlodzi-
mirienſi Czerkaſienſi etc. Nicolao Zebry-
dowski Cracovienſi et Sniatinenſi Hiero-
nimo Gostomski Poſnanien et Sendomi-

rien, Christophero Nicolao Radziwilen-
ſi Vilnenſi Georgio Miszek Sendomirien-
ſi Palatinis et Capitaneis: et aliis, quam-
plurimis Dignitariis Officialibus ſecretariis
et Aulicis noſtris, tum etiam Nunciis
Terrarum Regni et Magni Ducatus Lithua-
niæ ad præſentem Conventum congregatis.

Sigismundus Rex

Hieron. Cielecki